

N. 19.

78 L 1637 [51]

ACTVM ORATORIVM

X 231 5808

D. VII. IANVAR. CIOIOCCXXXVIII.

IN AVDITORIO

CLASSIS PRIMAE

GYMNASII HALLENSIS

CELEBRANDVM

INDICIT

DE

Σ Ε Ι Σ Α Χ Θ Ε Ι Α Ι

PATRIS CAELESTIS PER FILIVM

INDVLTA

QVAEDAM PRAEFATVS

IOANNES MICHAEL GASSER,

GYMNASII RECTOR.


HALLAE MAGDEBVRGICAE,

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.



Kapsel 78 L 1637 [51]

AK



§. I.



nam genti olim Hebræorum indulerat *σεισάχθειαν* Ioua, beneficiorum per Christum conferendorum imaginem exhibuit. In hoc enim liberatio nobis obtigit per eius sanguinem, in hoc delictorum veniam et impunitatem habemus a): hic admissorum gratiam nobis fecit, noxam sustulit, et ab omnibus, a quibus per Mosis legem solui nequiuimus, nos soluit ac liberauit b). Hic feruitutis grauissimæ iugum a ceruicibus nostris depulit: hic virgas exactorum perfregit, nosque in libertatem vindicauit c). Longe igitur patris celestis per filium suum concessa, illa *Sabbatarii* et *Iubilei* anni *σεισαχθεια* præstantior est. Ut enim foli umbræ: ita bonis per Christum partis figuræ illæ et simulacra futurorum cedunt.

§. II.

Hanc patris celestis per Christum sancitam *σεισάχθειαν* Paullus in epistola ad Colossenses scripta, eiusque capite secundo, versu 14 prædicat. *Ἐξαλείψας*, inquit, *τὸ κατ' ἡμῶν χειρόγραφον τῶν δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεραντίον ἡμῖν, καὶ αὐτὸ ἤκεν ἐν τῷ μεσῷ, προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ.* h. e. *oblitterauit placitorum chirographum, quod nobis*

- a) Coloss. I. 14.
 b) Act. XIII. 39.
 c) Ies. VIII. 4.

nobis aduersabatur, contrariumque erat: idque de medio fustulit, adfixum cruci. Tuam fidem, mi lector, si chirographi obliteratio σεισάχθειαι non est, quo nomine adpellabitur? Ordine ut procedamus, considerabimus 1) huius σεισάχθειαι auctorem, 2) ipsam σεισάχθειαν, cum adiunctis.

§. III.

Auctor est *pater caelestis*: is scilicet, qui Christum ex mortuis suscitauit, v. 12, et qui Colossenses una cum eo in vitam reuocauit, peccatorum veniam ipsis largiens, v. 13. Quod si de Christo verba Apostoli intelligamus, quasi hic dicatur chirographum deleuisse; non erit, quo participia εξαλειψας v. 14, et ἀπεκδυσάμενος v. 15. referantur d): si vero patri tribuamus, omnia sibi constabunt. Qui enim deleuit chirographum atque de medio fustulit, idem dicitur a mortuis excitasse αὐτόν, scil. χριστόν v. 11. in quo tota diuinitatis plenitudo habitat corporaliter, v. 10. Numquis autem alius est, quam pater, εὐγενης, i. e. ὁς ἠγάπησεν αὐτόν ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ συνεζωοποίησε σὺν αὐτῷ, sc. χριστῷ. χαρισάμενος ἡμῶν πάντα τὰ παραπτώματα, (καὶ ε) εξαλειψας τὸ κατ' ἡμῶν χειρόγραφον, - - - αὐτὸ ἤγειρεν ἐν τῷ μέτε, προσηλωσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ. Præter ea quum ex oeconomia salutis creditoris personam pater, filius prædis ac sponsoris sustineret: utri potius solutio, quam chirographi abolitio tribuenda erat? Prædis nimirum est, nomina soluere: creditoris autem, facta solutione syngrapham delere. Iam quum, homines quæ debebant, Christus dissoluisset: tabulas debiti a patre, tamquam creditore, obliterari par erat.

§. IIII.

Res, quam pater caelestis delesse dicitur, τὸ κατ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασι vocatur. χειρόγραφον est obligatio, cautio, manu alicuius scripta, qua debitum agnoscimus, eiusque solutionem ad diem statutum ac præscriptum pollicemur. Hoc loco χειρόγραφον τοῖς δόγμασι nihil est aliud, quam ὁ νόμος τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, vt Paullus alibi clarius exponit f), h. e. rituum caerimoniarumque Leuiticarum

a) Vid. WOLFII cur. philolog. et crit. ad h. l.

e) Particulam καὶ, ante voces αὐτὸ ἤγειρεν positam, traiectam esse, et in locum debitum ante εξαλειψας restitui oportere existimat Reu. DEYLINGIUS in observationibus miscell. p. 594. sq. Vid. tamen WOLF. cur. l. c. p. 316.

f) Ephes. II. 15.

rum cumulus. Adpellatur autem χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, h. e. ἐν τοῖς δόγμασι κείμενον, quod positum est in placitis, quæ arbitraria et mutabilia sunt, atque a libero legislatoris arbitrio ita pendent, ut figere pariter ac refigere possit. Sunt ea δικαιώματα σαρκὸς Paulo nominata g), quæ non diutius debuerunt durare, quam μέτρι καὶ ἐξ διορθώσεως.

§. V.

Hoc χειρόγραφον fuit κατὰ τῶν Ἰουδαίων, a Iudeis scriptum contra semet ipsos, arguens eos, conuincens, ac damnans. Quot enim ritus lege erant præscripti, tot veluti chirographis de peccatis suis aduersum se ipsi confitebantur Iudæi. Audiamus Vitrinam h), qui, per chirographum, inquit, Paullus intelligit ipsa dogmata (חֻקֵי) legis Mosæica, in quantum ea significabant, peccatum adhuc exstare, et Israelitas cogebant ad id manu et ore suo obsignandum, quod utrumque in sacrificiis pro peccato locum habebat. χειρόγραφον hic igitur nihil aliud est, quam חוֹב שֵׁטֶר, tabula debiti, ein Schuldbrief, confessio exstantis et nondum soluti debiti i). Etenim expiationes in vniuersum omnes quid erant aliud, quam sollemnes ac publicæ admissorum criminum confessiones? Quoties mactabantur victimæ innocuæ: toties supplicium meruisse se testabantur sacrificantes. Quid circumcisio? nonne labem natiuam significabat? Quid? abluciones ac lustrationes nonne peccatorum sordes indicabant? Sanguinis adspersiones omitto multiplices: quibus quasi totidem chirographis, non atramento, sed sanguine scriptis, capitis poenam se commersisse fatebantur Hebræi.

§. VI.

Itaque chirographum hoc recte ab Apostolo vocatur ὑπεναντίον, h. e. contrarium et inimicum. At ERASMVS SCHMIDIUS post BEZAM, ALTINGIUS, DEYLINGIUS emolliendi vim isti tribuunt, per occulte contrarium, subcontrarium, ex parte contrarium explicantes. Lex enim ritualis, DEYLINGIUS ait, gratiæ diuinæ erat præconium, et elegantissimas Messie et beneficio-

g) Hebr. VIII. 10.

h) Obseruat. S. L. II. c. XI. p. 192.

i) Syrus interpres חוֹב שֵׁטֶר חַיִּין habet.

rum eius imagines continebat. Legales ritus habebant σικὸν τῶν μελ-
 λούτων, Coloss. II. 17. umbram futurorum bonorum, cum primis ablutio-
 nis verae, Christi sanguine peragenda, illiusque sacrificii εἰς ἀθέτη-
 σιν ἀμαρτίας in cruce aliquando offerendi, Hebr. VIII. 14. 26. X. 1. Et
 paullo post: Hac ratione irae gratiaeque diuinæ quandam quasi mixturam
 deprehendimus in istis δόγμασι. Iudaeis σαρκικαῖς lex praeceptorum in
 placitis nihil aliud erat, quam chirographum reatus permanentis,
 adeoque omnibus modis inimicum contrariumque. Iis vero, qui dei pe-
 culium, et qui Iudeorum fece exempti erant, ritus isti non tam ἐναν-
 τιοι, quam ὑπεραντιοι erant. Chirographum hoc eos quidem peccati ar-
 guebat, et iram diuinam denuntiabat. Quoniam autem per hos ipsos
 ritus diuina gratia iis offerebatur et obsignabatur, piique cultores rituum
 istorum usu in fide Messiae venturi, et pro ipsis satisfacturi, confirma-
 bantur: ideo non ἀκατάλληλος ἐναντιότης, sed tantum ὑπεραντιότης
 et subcontrarietas in iis fuit k). Verum enim vero exempla tam ab
 ipso DEYLINGIO, quam WOLFIO l) congesta probant
 contrarium. Et WOLFIVS quidem porro ait verisimile non esse,
 Paullum legis ritualis difficultatem et grauitatem hic emollire voluisse,
 qui hinc in praedicanda dei gratia, illius abolitione demonstrata,
 hinc in auocandis ab ea christianorum animis versaretur. Propter ea
 (pergit) Ephes. II. 14. ἐχθρὰς, inimicitia, simpliciter meminit, habito
 etiam ad hanc legem respectu. Non nego, eandem legem gratiae
 quoque diuinæ indicia secum tulisse: ad illa vero Paullus per argu-
 mentum, in quo erat, respexisse credi non potest.

§. VII.

Σεισάχθελος constituendae actus et modus verbis delendi, tollen-
 dique de medio, et clavis cruci adsignandi, describitur. Ἐξάλειψεν τὸ
 χειρόγραφον est τελείως ἀφανίζειν, ita perfecte delere obligationem ma-
 nu scriptam, ut nec vola nec vestigium eius supersit. Quare IO.
 CHRYSOSTOMVS ἐξήλεψε exponit, εἰ ἐχάραξε μόνον,
 ἀλλ' ἐξήλειψεν, ὥστε μηδὲ φαίνεσθαι, h. e. non exprunxit solum, sed
 ita deleuit, ut non amplius apparerent. Confirmatur hic significatus
 voce adfini καταργεῖν, qua vtitur simili in loco Apostolus m). Sic
 ISOCRATES ἐξάλειψεν exponit per κατακαίειν, comburere.

* 3

Significat

k) l. c. p. 598. sq.

l) In curis philolog. et critic. h. l. p. 318.

m) Ephes. II. 15.

Significat igitur Christi legatus, *chirographum* illud *rituum* præstita Christi satisfactione non magis valere, quam *scripturam* *livris* *obductam*, aut *discissam* *combustamne*. Itaque addit, *ἤνεκεν ἐκ τῆς πέρας*, h. e. ita *fustulit*, vt *penitus oculis subduxerit*. Respondent his egergie, quæ eadem de re Apostolus alibi profert n), vbi *parietem intergerinum sepimentis*, quo Iudæi a gentilibus fecerantur, Christus dicitur *diruisse*.

§. VIII.

Hoc *rituum chirographum* iisdem clavis, quibus Christus, ita cruci adfixum simul et transfixum est, vt intelligi posset, omnem eius vim prorsus euanuisse. Sicut enim proscriptione publica monetæ alicuius valor abrogatur: ita rituum Leuitarum vsus quasi tabula in Christi cruce proposita in posterum vetabatur. Digna sunt VI-TRINGAE verba, quæ a nobis hoc loco producantur o). Ait is, *chirographum hoc cruci esse adfixum, in quantum in Christo, e cruce pendente, validissimum argumentum erat, peccata hæcenus existisse, atque etiamnum exstare, per se expianda. Sane qui Christum in cruce hærentem, vt decet, contemplabatur, ille hanc tenebatur collectionem facere: ergo peccata hæcenus expiata non fuerunt. Ille quasi tabulam debiti legebat, omnium subsignatione confirmatam, se debere, neque tamen debito suo soluendo parem esse. Idem igitur illud χεῖρόγραφον, quod dabatur omni die in cærimoniis legis, nunc dabatur in ipso dei filio, licet modo diuerso. Quin, quod maius est, hoc χεῖρόγραφον nunc transferebatur a dogmatibus legis ad ipsum Christum, h. e. nunc edebatur in Christo, quod in tot cærimoniis quondam edictum fuerat. Addamus, quæ STEPHANVS LE MOYNE in notis ad varia sacra ita scribit p): peccatum est veluti obligatio et chirographum holographum, quo dei iudicio reddimur obnoxii. Chirographa vero nulla redduntur, vel quum prorsus tolluntur, comburuntur, ventis vel aquis annihilanda traduntur, vel quum simpliciter delentur, et livris obducta, inutilia declarantur: vel quum transfiguntur, cancellantur, et postibus confixa et lacera adponuntur. Eodem modo dicit Apostolus, Christum in cruce peccata nostra remouisse, illorum clamores compescuisse, eorumque vim et robur fregisse, adeo, vt non amplius nos possint redere*

n) Eph. II. 14.

o) l. c. p. 192. Cf. WOLF. cur. h. l.

p) p. 509.

dere obnoxios tremendo iudicio dei. Nam Christus (Deus pater) in cruce (Fillii sui) deleuit, ἐξαλειψας, in cruce prorsus sustulit, ἤγειρεν ἐκ τῆ μέσση, adeo ut coram deo non amplius stent et appareant, ut accusatores et testes, illius vindictam et iudicia contra nos efflagitantes. Illa clavis postei crucis suæ (Christi) transfixit, illa cancellauit, illa lacera, cassâ, vanâ, exposuit, illâ crucifixit, mortua quasi et exanimata exhibuit, et illa non minus impotentia reddidit, quam cruciarius, qui effuso per omnia vulnera sanguine re vera obierit, et animam efflauerit.

§. IX.

Ex his, quæ breuiter disseruimus, manifestum est, patrem celestem deleuisse chirographum. Ergo patre nunc gaudemus placato et propitio. Non igitur est, quod iram, quod minas, quod pœnas eius pertimescamus. Patri iam reconciliati, beneuolentia eius fruimur, bonorumque paternorum omnium heredes sumus. Lex non terret amplius, non accusat, non diras denuntiat, non damnat. Lator enim ipse legis satisfactione accepta nos solutos ac liberos esse iubet. Omnia nunc nostra sunt. Nulla dierum, nulla ciborum, nulla nunc gentis discrimina. Dirutus est, qui Iudæos olim ab reliquis gentibus sequeuerat, murus: in vnum coaluimus. Chirographum in Christi cruce deletum est. Christi igitur supplicio deo patri satisfactum: Christus nostræ liberationis, nostræ salutis, nostræ felicitatis causa est. Hic inter deum hominesque medius pacem inter vtrosque conciliauit, odii causis dissipatis. Quem ad modum lex *syngrapha* est, cærimoniarum vsus confirmatio et confessio debitorum: ita sanguis Christi *apoche* instar est, qua *syngrapham* deletam et obliteratam esse cognoscimus. Proinde diligenter caueamus, ne rescribamus vltra, quæ iam deleta sunt, nec reparemus, quæ sunt abolita: nam quoties peccamus, eo ipso, quod peccamus, aduersus nos ipsos chirographum conscribimus.

Hæc præmitti placuit, vt copia nobis esset, declamatoribus nostris corrogandi auditores. Sequenti autem ordine dicent tres primi ordinis discipuli, quibus id negotiū dedimus. Nimirum

BAPTISTA GODOFREDVS TRAVTMANN,
Mansfeldensis, de modestia veterum in cultu corporis externo, germanice,

IOAN-

IOANNES AVGVSTVS FRIDERI-
CVS GASSER, Calbensis, de *veterum frugalitate in
victu*, gallice, et

WILHELMVS HIERONYMVS BACH,
Erfordiensis, de *vera animi magnitudine*, latine, disserent,
simulque hic *beneficii Oelshafiani* memoriam renouabit.

Adeste igitur animis æquis, Scholæ nostræ PATRONI,
EPHORI ac FAVTORES, et die crastino hora II pomeri-
diana in primæ Classis Auditorio frequentes ac beneuoli,
vt soletis, recitationibus nostris
interesse.

P. P. A. D. VI. Ianuar. c1515ccccxxxviii.



N. 19.

78 L 1637 [51]

X 23A 5808

ACTVM ORATORIVM

D. VII. IANVAR. CLOIDCCCXXXVIII.

IN AVDITORIO
CLASSIS PRIMAE
GYMNASII HALLENSIS
CELEBRANDVM

INDICIT

DE

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑΙ

PATRIS CAELESTIS PER FILIVM
INDVLT A

QVAEDAM PRAEFATVS

IOANNES MICHAEL GASSER,

GYMNASII RECTOR.

HALLAE MAGDEBVRGICAE,

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.



Kapsel 78 L 1637 [51]

AV

